

477. II, 8-14 — Carta de frei Jerônimo, geral da Ordem de Santo Agostinho, a D. João III a respeito do Concilio Tridentino. Trento, 1546, Fevereiro, 17. — Papel. 2 folhas. Bom estado. Selo de chapa.

Serenissime rex domine clementissime

Non potui serenissime rex et potentissime non admirari benignitatem celsitudinis tuae qua me sibi multis nominibus devinctum quotidie magis ac magis exornat.

Ad me enim in omnibus ob eam illam quae mihi cum regia Majestate tua est servitutem obtemperaturum quodque mihi praecipiat loco summi beneficij accepturum. Nuncij tui ad sacrum concilium destinati tulerunt literas, in quibus celsitudo tua mihi eos commendat quos eram ipsius nomine amplexurus et ea omnia praestiturus quae vires meae licet tenuissimae suppeditare potuissent. Poterat ne unquam maius mihi tantae benignitatis signum exhiberi pro tanta itaque benignitate regiae Majestati tuae gratias ago eamque obnixe precor ut sibi persuadeat ea me omnia esse facturum quae non modo ad eam quam cum omni reverentia observo et colo sed ad omnes etiam qui vel tenui ratione ad ipsam spectant pertinere arbitrabor.

Reverendos patres qui ex parte sublimitatis tuae venerunt amplexus sum omneque sibi studium meum et diligentiam obtuli ac rogavi ut opera mea cum oportuerit uti velint sciantque me quacunque in re possum sibi nunquam defuturum.

Gratulor deinde Majestati tuae quod priusquam caeteri christianaee reipublicae principes vel demittendis ad sacram synodus literis cogitant ipsius litere omni pietate in Deum et reverentia erga sanctam ecclesiam et romanam sedem refertissimae lectae sunt; eoque omnium animo et applausu auditae ut per me exprimi satis non possit.

Det Deus Optimus Maximus sublimitati tuae exoptatam ab omnibus felicitatem et de christiani nominis hostibus ut toties fecit victoriam praebeat salutarem simulque efficiat ut in me ac religionem (immo in res

*suas tui enim sumus omnes rex benignissime) solitam gratiam integrum  
servet.*

Tridento xij Calendas Martij MDXLVI.

Majestati tuae

Servus

frater Hieronymus generalis  
Sancti Augustini

(A. E.)